



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 85. Genuenses sub Mediolanensis Ducis Imperio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.  
A.C. 1488.

§. LXXXV.

*Genuenses sub Mediolanensis Ducis  
imperio.*

*Foliet hist.  
Gen. lib. II.*

Recruduit hoc anno inveterata dissen-  
sio, ac civile bellum inter Genuen-  
ses, quorum Archiepiscopus ac Guber-  
nator erat Paulus Fregosus, seu Fulgo-  
sius Cardinalis. Hic sua tyrannide po-  
puli invidiam in se concitasse haud igna-  
rus, nullum non movit lapidem, ut  
saltem urbis imperium, si ipse eo desti-  
tueretur, suis quoque æmulis eripere  
posset. Quapropter Civibus auctor ex-  
titit, ut pristinae pacis ac quietis, qua  
sub Mediolanensium dominatu potiti es-  
sent, memores, denuo iisdem sese sub-  
jicerent. Eo tempore Mediolanensibus  
præerat Dux Joannes Galeatius, cum  
autem ejusdem Patruus Ludovicus Sfor-  
tia, qui ob subnigrum vultus colorem,  
*Maurus* vulgo appellabatur, Nepotis sui  
imbecillitatem in rem suam verteret, ip-  
sus Ducatum pro summo imperio admi-  
nistrabat, præcipue postquam Bonnam  
Joannis Galeatii Matrem Ducatu expu-  
lisset. Ad hunc ergo Fulgosii suos able-  
gant Oratores, quos paulo post sequeba-  
tur Fulgosius Pauli Filius, qui Sfortia  
suasu Claram spuriam Galeatii Ducis so-  
rorem matrimonio sibi junxerat. Ea res  
vehe-

vehementer commovit Genuenses, eo-  
 quod hoc affinitatis vinculo durius sub-  
 frati viderentur Archiepiscopi pedibus,  
 hinc seditionem in eum conflant, atque  
 ad arcem fugere compulsum obsident, to-  
 toque belli apparatu illum ad deditio-  
 nem cogere conantur. Postmodum Ci-  
 ves, quid in hoc rerum articulo agerent,  
 consultatione habita, duas legationes  
 mittere decernunt, alteram ad Galliarum  
 Regem, qua illi urbem dedendam pro-  
 mitterent, ac promptum subsidium effla-  
 gitarent, alteram ad Innocentium Pa-  
 pam, supplices, ut ipsum patriæ suæ, in  
 qua in lucem editus esset, miseratio subi-  
 ret: Cum vero ubique surdas pulsarent  
 aures, arte demum, atque astu Ludovi-  
 ci Sfortiæ res eo deducta est, ut a ci-  
 vibus tanquam illorum Princeps agno-  
 sceretur. Hic autem Augustinum Ad-  
 ornium ad decennium urbis Vicarium  
 constituit, quo facto Cardinalis Fulgosius  
 Magistratu se abdicavit, Romamque se  
 recipiens complures adhuc annos ibidem  
 superstes vixit.

## §. LXXXVI.

*Scotorum dissidia.*

Haud levioribus turbis agitatum est  
 Scotiae regnum; illius enim Proce-  
 res in Regem suum Jacobum III. insur-  
 gebant,

Polyd. Virg.  
l. 26.Buchanam  
de reb. Scot.

lib. 12. &amp; 13.

A a 3